

PRAEFATIO.

BIBLIOPOLA LECTORI SALUTEM.

X quo animum ad novam Celsi editionem adjeci, deficiente, qui limam eis adhiberet, homine erudito, id mihi negotii datum esse intellexi, ut clarorum virorum notas, quarum tantum eclogas dederat Almeloveenius, jam tandem integras in editione mea exhiberem. Neque id sine ratione a me factum esse scito. Diu enim est, quod intellexi, non amplius editionem commodioris formae desiderari, (quarum copia paene abundamus) sed majorem aliquanto, & luculentiorem, iisque instructam rebus, quae sive ad explicandum sive ad emendandum auctorem tam male a librariorum acceptum pertinere videantur. Hac igitur mente Joannis Caesarii, praestanti eruditioне viri, & Roberti Constantini, quo nemo plures foedioresque Celso maculas abstergit, annotationes buc revocavi omnes. Quorum quidem editiones, paucorum manibus tritas, cum diu frustra quaesivissent, tandem ea, qua est, humanitate earum mibi usum indulxit Vir eximius, Abrahamus Gronovius. Non id mibi sumo, ut de opera, quam bi Duumviri Celso navarunt, judicium feram. Tantum dicam, Constantium nonnullas Caesarii notas, nulla ipsius mentione facta, totidem verbis in annotationes suas transfigisse. Quod quo animo ab eo factum sit, equidem non dixerim. Quamquam scio, hominem jam ab aliis in atrum plagiariorum indicem esse relatum, ob idemque crimen in Scaliger. prim. p. 12. male audire. Interim nos hanc notas, ut

P R A E F A T I O.

ne bis eodem loco extarent, e Constantinianis su-
stulimus, suoque reddidimus auctori. Venio nunc
ad notas Literatorum Principis, Josephi Scaligeri,
quas nunc primum foras dari vides. Fuit
quondam ea felicitas Jo. Antonid. Lindenii, ut
illud ipsum exemplar, cui Scaliger manu sua An-
madversiones adscripserat, e Bibliotheca Vorstia-
na depromptum oculis usurparet. Quamquam nihil
eorum, quae illo libro continebantur, nobis imper-
tivit. Postea idem exemplar e Bibliotheca Vorstia-
na in Graevianam videtur pervenisse. Is certe,
qui Graevianorum Librorum indicem confecit, ven-
ditat nobis editionem Celsi Lugdunensem 1587. 12.
cum MSS. Scaligeri. Sed cave temere assentiaris.
Nam, ut Lindenius refert, Scaliger emendationes
suas margini editionis 1554. 12. allevit, samque
Aelio Everhardo Vorstio testamento reliquit. Puto
igitur, aut editionem illam, quae in Bibliotheca
Graeviana veniit, Scaligeri αντόχεαφον plane non
exhibuisse, aut in annorum numero designando esse
peccatum. Nam et si nobis non licuit esse tam fe-
licibus, ut librum ipsius Scaligeri manu conscrip-
tum nancisceremur, obtigit tamen nobis exemplar
in Bibliotheca Leidenſi inter Libros Vossianos, cu-
jus nos minime poenitere debet. Fuit illud quon-
dam Francisci Vertuniani, viri & Graece doctissimi
& Scaligero amicissimi, qui ex hujus libro Ca-
stigationes omnes in suum exemplar transcripserat.
Idem in Epistola Dedicatoria, quam Hippocratis
libro de Capitis Vulneribus praemisit, memoriae
prodidit, Scaligerum tum nihil antiquius fuisse, quam
ut Celsum a tot tantisque fecibus, quibus eum supe-
riorum temporum barbaries contaminaverat, quoad
ejus fieri posset, repurgaret. Quo quidem in institu-
to

P R A E F A T I O.

to si viro divino perseverare libuisset, nae ille Lindeenios, Almeloveenios, Morgagnosque, viros doctos illos quidem & acutos, sed huic Augiae stabulo expurgando minime pares, longo post se intervallo reliquisset. Interim his, quae fors obtulit, fruamur, quae certe sunt ejusmodi, ut a nemine alio, nisi qui diuturnam cum priscis auctoribus familiaritatem contraxit, profecta videri possint. Scaligeri vero nomen ne quid detrimenti ex hac editione caperet, notas basce, antequam operis tradarentur, subjecimus judicio Tiberii Hemsterhusii, Viri laude nostra majoris, qui nobis pro eruditio-
ne ea, quam norunt omnes, optime de iis judicare posse videbatur. Ille igitur plerasque, quae ederentur, dignas putavit, nonnullas, quae tanti viri eruditioni parum respondere viderentur, ceris relinqui jussit. Atque haec fere sunt praecipua novae editionis ornamenta, quae, ut tibi eorum ratio constaret, paulo latius persecuti sumus. Reliqua, quae hic comparere vides, loci videlicet Hippocratis & Celsi Paralleli ab Henrico Stephano collecti, itemque Variae Lectiones nunc primum sub textum revocatae; ea non sunt tanti, ut propterea ambitione monendus esses. Vale igitur, Benevole lector, nostroque de literis bene merendi studio fave.